

num. 4 et 5: ac dein capite iterum Cruci inclinato, quae sunt in cornu Epistolae, num. 6 et 7. (Ad num. 1051-1066 vide tabulam appositam.)

**1052.** Tunc genuflectit, vadit ad latus Epistolae, ambulans ductus num. 8, 9 et 10 versus Altaris partem supra mensam producens, parum se postea inclinat, latus mensae Altaris incensat, ut num. 11 et 12 indicatur, se erigit, et facie ad medium Altaris revertens mensam Altaris incensat ductibus sub num. 13, 14 et 15, genuflectit in medio et eodem modo ductus num. 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22 et 23 perficit.

**1053.** His peractis, antequam ad medium Altaris perveniat, quasi retrogrediens frontem Altaris in cornu Evangelii num. 24, 25 et 26 incensat, genuflectit in medio, et incensationem alterius partis frontis Altaris ductibus num. 27, 28 et 29 perficit: qua finita thuribulum Caeremoniario seu Assistenti restituit, ac facie versus latus seu murum Ecclesiae conversa, manibus iunctis ab illo triplici ductu incensatur, quo facto ad librum se convertit ac more solito Introitum incipit.

**1054.** Genuflexio in medio Altaris, cum illud incensatur, omittitur, si SS. Sacramentum non adsit: tunc enim solummodo caput Cruci profunde inclinatur.

**1055.** Omittuntur quoque ductus 4, 5, 6 et 7, si Reliquiae non adsint, aut statuae insignes Sanctorum, aut expositum sit SS. Sacramentum, quia apponi tunc non debent.

**1056.** Cum expositum sit SS. Sacramentum, illud incensatur, sed non Crux<sup>1</sup>, genuflexo Celebrante utro-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 29 Nov. 1738, in una Carthaginen. ad 5.

que genu in ora suppedanei<sup>1</sup> et non super infimum gradum, cum profunda capitis inclinatione ante et post incensationem.

**1057.** Nec ante thuris impositionem, exposito SS. Sacramento, nec post eam cum ad ora suppedanei descendat ad incensandum SS. Sacramentum, ut fit ad Introitum et Offertorium, genuflexionem facit Celebrans, quia in neutro casu ab Altaris medio recedit. Post incensationem SS. Sacramenti vero, in accessu Altaris genuflectit, quia ad perficiendam incensationem ab Altaris medio recedit.

**1058.** In fine incensationis cum SS. Sacramentum sit expositum, non in suppedaneo stans incensatur Celebrans, sed descendit in cornu Epistolae per gradus laterales in planum, ubi vertens se versus Altare, ne tergum vertat SS. Sacramento, more solito incensatur. Postea per brevioram viam Altare ascendit et Introitum incipit ac reliqua prosequitur.

**1059.** Dicto Graduali, respective Tractu, Celebrans more solito in medium Altaris accedit, quin incensum imponat, *Munda cor meum* dicit, ad cornu Evangelii vadit, et dicto *Dominus vobiscum* et *Sequentia* seu *Initium S. Evangelii* Evangelium legit, quin librum triplici ductu incenset.

**1060.** Dicto Evangelio nec liber Evangelii nec Celebrans incensatur. Vid. num. 658.

**1061.** Ad Offertorium Celebrans, dicto *Veni Sanctificator* et facta super Oblata Cruce, more solito incensum imponit, sed loco *Ab illo benedicaris*, dicit: *Per*

<sup>1</sup> S. Rit. C. 27 Febr. 1847, in una Aretin. ad 5.

*intercessionem beati Michaelis Archangeli* etc., et ad verbum *benedicere* Crucem super thus impositum format.

1062. Deinde sine genuflexione ad Altare se convertit, thuribulum accipit et Oblata incensat modo, quo apposita figura indicatur, proferens illa verba quae figurae sunt impressa: *Incensum istud* etc.

1063. Incensatis oblatis genuflectit, et Crucem respective SS. Sacramentum ac Altare incensat, ut n. 1051 et seq.


1064. Verba, quae singulos ductus suis numeris indicatos concomitantur, sunt sequentia:

1. *Dirigatur*, 2. *Domine*, 3. *oratio mea*, 4. - 5. - 6. - 7. - 8. *sicut* 9. *incensum* 10. *in conspectu tuo*. 11. *Elevatio* 12. *manuum* 13. *mearum* 14. *sacrificium* 15. *vespertinum*. 16. *Pone*, 17. *Domine*, 18. *custodiam* 19. *ori meo* 20. *et ostium* 22. *circumstantiae* 23. *labiis meis*, 24. *ut non declinet* 25. *cor meum* 26. *in verba malitiae* 27. *ad excusandas* 28. *excusationes* 29. *in peccatis*.


1065. Cum non adsint Reliquiae vel statuae insignes Sanctorum in Altari, ductus 4, 5, 6, 7 omittuntur. Vide num. 1055.

1066. Finita incensatione, Celebrans thuribulum restituit Caeremoniario interim dicens: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae charitatis. Amen*, et incensatur ab eo<sup>1</sup>.

1067. Ante consecrationem, Thuriferarius ipsemet vel per Caeremoniarium imittit incensum in thuribulum, et genuflexus in cornu Epistolae prope infimum gradum, ter incensat Hostiam cum elevatur, et ter Ca-



<sup>1</sup> Missale. De Ritu celebr. Miss. t. VII, n. 10.



licem<sup>1</sup>. Caeremoniarius vero ad dexteram Celebrantis in superiori gradu Altaris genuflexus tum Celebrans genuflectit, partem posteriorem Planetae attollit, et primus Acolythus campanulam pulsat. Vid. num. 665 et 666. Post elevationem thuribulum Sacristae restituitur, quia incensatio est finita.

**1068.** DE OSCULO PACIS. — Pax in omnibus Missis conventualibus ac solemnibus datur, exceptis diebus quibus a Rubricis non permittitur, scilicet Feria V in Coena Domini, Sabbato sancto, et in Missis de Requie.

**1069.** De modo dandi pacem, vide n. 668 et seq.

**1070.** DE COMMUNIONE FRATRUM. — Fratres Clerici et Laici ordinarie, praesertim diebus festivis, sacram Communionem faciunt in Missa conventuali. Observanda autem veniunt sequentia:

**1071.** Postquam Celebrans dixit ter: *Domine, non sum dignus*, Clerici et Laici profunde se inclinant in suis locis, intelligibili voce pro offensionibus et scandalis datis veniam petunt a praesentibus in Choro; deinde terram vel respective scamna osculantur, surgunt, sandalia et mantellum deponunt, et iunctis ante pectus manibus oculisque dimissis a latere Evangelii ad Altare vadunt, ibique in plano genuflexionem faciunt, et tot quot possunt in medio gradu in genua procumbunt, reliquis genuflexis remanentibus linea recta in plano.

**1072.** Sumpto a Sacerdote SS<sup>mo</sup> Sanguine, Minister Missae inserviens alta voce *Confiteor* incipit, quod omnes simul profunde inclinati prosequuntur, remanentes inclinati, dum Sacerdos dicit *Misereatur et Indul-*

<sup>1</sup> Missale. De Ritu celebr. Miss. t. VIII, n. 8.

*gentiam*, quod observent etiam sub triplici *Domine, non sum dignus*. Postea omnes se erigunt.

**1073.** Celebrans, hausto diligentius pretioso Sanguine, Calicem palla obteggit et illum, non tamen extra Corporale, ad cornu Evangelii collocat: quo facto, Tabernaculum aperit, genuflectit, Pyxidem extrahit et in medio Corporalis sistit ac aperit.

**1074.** Completa Fratrum Confessione, genuflectit more solito et conversus ad populum aliquantulum ad latus Evangelii, ne SS. Sacramento tergum vertat, dicit *Misereatur vestri* etc. et *Indulgentiam* etc., formans Crucem super communicantes more solito.

**1075.** Postea in medio Altaris reversus, iterum genuflectit, surgit, manu sinistra Pyxidem ad nodum accipit, dexteræ indice et pollice, reliquos digitos tenens iunctos ut de more, Particulam e Pyxide sumit, et super eius os aliquantulum elevat, deinde sine genuflexione ad populum se vertit ac dicit: *Ecce Agnus Dei*, et triplex *Domine, non sum dignus*; quibus dictis, Fratribus in genua erectis sacram Communionem distribuit, incipiens a cornu Epistolae, ubi primum locum inter communicantes tenent Ministri seu inservientes Missae.

**1076.** Cum qui in prima linea genuflectunt SS. Communionem sumpserint, omnes simul surgunt, retrocedendo in planum descendunt, uno genu flectunt, et elevatis manibus ante pectus per latus Epistolae Chorum petunt. Caeteri vero surgunt, genuflectunt, gradum medium ascendunt, SS. Communionem sumunt et eodem modo in Chorum redeunt, ubi acceptis sandaliis et mantello in genua procumbunt, et gratiarum actionem faciunt.

**1077.** Hic modus communicandi intra Missam servetur in Ecclesiis nostris tantum ab omnibus, qui, etsi soli seu privatim, SSm̄am sumunt Communionem.

**1078.** Si etiam populus sit communicandus, Celebrans, recessis Fratribus, per medium Altaris descendit ad cancellum seu mensam Communionis, et incipiens a parte sinistra SS. Communionem distribuit et ad eandem sinistram sine genuflexione ante Altare redit, quoties opus fuerit.

**1079.** Finita distributione, per eandem viam ad Altare revertitur, genuflectit, Pyxidem cooperit, quin digitos in vasculo apposito abstergat, in Tabernaculo ponit, iterum genuflectit, ostiolum claudit et more solito Missam prosequitur.

§ II. — *De Missa Ministri Generalis et Provincialis in occasione pastoralis Visitationis dicenda.*

**1080.** Pro Missa die pastoralis Visitationis a Ministro Generali dicenda praeparantur in Sacristia paramenta missalia meliora, superpelliceum pro Sacerdote assistente, cottae pro Ministris, bacile cum urceolo et manutergio pro ablutione manuum ante et post Missam, thuribulum et navicula pro benedictione et Exequiis, insuper Pluviale et Stola nigri coloris ad Absolutiones pro Defunctis.

**1081.** Altare, in quo asservatur SS. Sacramentum, et in quo Minister Missam celebrabit, solemniter sit ornatum, et super abacum ponetur palmatoria (vulgo bugia) cum candela accensa, vas aquae benedictae cum aspergillo pro Absolutionibus, et hoc Caeremoniale vel